ORATIO
De
EBRIETATE FVGIENDA
QVAM
Deo Opt. Max. annuente
Sub
Decanatu Philoſophico
Clariſs. & Excellentiſs. viri,
Dn. HIEREMIÆ SETSERI
Sil. Philoſoph. & V.I.D.
Memoriter pronunciavit in publico Academiæ Ienenſis conſeſſu audit. maior.
HENRICVS à Frieſen.
Die XI. April. An. 99.

IENÆ
TYPIS TOBIÆ STEINMANI.
ANNO R. S. D. M. IC.

Illuſtriſſimo Celſiſſimoq; Principi ac Domino,

DOMINO FRIDERICO GVILHELMO, DVCI SAXONIAE, TVtori & Electoratus Saxonici Adminiſtratori, &c. Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, &c. Domino ſuo clementiſsimo:

Hanc de Ebrietate fugienda orationem

In devotæ ſubiectionis
&
Debitæ gratitudinis teſtificationem

Humilimo animo exhibet
& D.D.

HENRICVS à FRIESEN.

Decanus Collegij Philoſophici in inclyta & celeberrima Salana, HIEREMIAS SETSERVS Sileſ. Philoſophiæ & V. I. D.

L.S.P.D.

MAGNVM ET SINGVLARE hominis decus eſſe ſapiētem eloquentiam, non modo ij norunt, qui doctrina & literis imbuti, rectum ſibi compararunt de reb. iudicium, ſed & ij, qui rudes ſunt, & nullo diſciplinarum genere animos excoluerunt, fateri etiam inviti coguntur: Quippe vident illi admirabilem vim Eloquentiæ, quæ id præſtat, ut qui ab ea inſtructi ſunt, ac parati, non rationis modo expertibus animantibus antecellant: ſed & homines alios ſuperent, & quo tandem cūq; placuerit, deducant: Hinc & ij qui Reſpublicas gubernant, & iuridicundo præſunt, feliciſſimum ſæpè ab eloquentia præſidium petunt: & qui rei literariæ incumbunt, præclarum ſibi à dicendi facultate ornamentum comparari ſentiūt: Etſi enim omnium diſciplinarum facies ipſa per ſe iucunda eſt,

& aſpectu gratiſſima: tamen multò redditur illu-
ſtrior, plusq́; ad alliciendos aliorum animos va-
let, ſi divinum illud & admirabile Eloquentiæ lu-
men accedat. Adde, quod, ut nunc ſunt omnium
ferè iudicia, omnis illa quæ ex artibus atq́; disci-
plinis paratur, rerum cognitio, vana, & infrugi-
fera ſine dicendi facultate, ſoleat exiſtere. Tan-
tum enim unusquisq; profeciſſe in literis videtur,
quantum dicendo ſcribendoq́; exprimit: & ſine di-
cendi vi atq; facultate, quæ cognita ſunt maxime
& perſpecta, ignorari videntur: Quemadmodum
verò reliquis in artibus atq; disciplinis parum
natura & doctrina efficit, niſi exercitatio aſſidua
accedat: ita eloquentiam quoq; neq; naturæ præ-
ſtantia, neq; ars & præceptorum cognitio ſola effi-
cit: ſed dicendi uſus atq; conſuetudo aſſidua requi-
ritur: Hæc enim eſt, quæ in rebus inveniendis in-
genium acuit: iudicium format: memoriam ex-
citat: verborum copiam adfert: actionem prom-
ptam reddit: duo deniq; vitia illa, quæ pernicioſiſſi-
ma ſtudioſis, ideoq́; reprehendi maximè ſolent, ne-
gligentiam, ſuiq́; amorem nimium tollit. Quam
ob cauſſam præclarè ſuis ſtudijs conſulunt, qui ad
quotidianam & frequentem optimorum auto-

rum

rum lectionem, ſtyli exercitationem coniungunt, & dicendi atq; declamandi rationem commen- datã ſibi eſſe patiuntur, ſine qua parari eloquen- tia nullò profectò modò poteſt: Non enim ſtylus ſolùm optimus eſt dicendi artifex, ut loquitur Quintilianus, ſed & omnium aliarum disciplina- rum comparandarum quaſi principium eſt & fundamentum: Nec temerè à Philoſopho pronun- ciatum eſt, duas res ſtudioſo cuiq; eſſe neceſſarias: νοῦν καὶ γραφίδιον, *mentem & calamum: & ex noſtris Jaſon, verè minimeq; arroganter, ex eo ſolo Ju- riſconſultum ſe effectùm eſſe gloriatur, quod ca- lamum è manu nunquam depoſuerit: Quod ſi quis ſummorum & clariſsimorum hominum ex- empla intueatur, non difficilè opinor, ipſi erit in- telligere, quantum ſtylo atq; declamationib. tri- buend. eſſe exiſtimarint. Cæſar aram Lugduni extruxit, ad quam eloquentiæ certamina quotidiè fierent, ita quidem ut victor muneribus ampliſsi- mis afficeretur, victus, vel lingua ſua orationem deleret, vel in Arari ter demergeretur: Jd quod Juuenalis, opinor, illud indicat:*

Palleat ut nudis qui preſsit calcibus anguem:
Aut Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram.

Auguſtus Cæſar, Portius Latro, Demoſthenes aliĳq; plurimi declamitare ſunt ſoliti: ipſe Cicero cuius meritò apud omnes valere debet autoritas, eo nomine Academiam inſtituit, & non Romæ ſolùm, verùm & Athenis, & in Aſia declamando ſe exercuit: quodam etiam in loco fatetur, aridam atq; ieiunam orationis ſuæ futuram facultatem fuiſſe, niſi ad declamandi ſe exercitationes cõtuliſſet. Hinc Academiæ nomen priſco Romanorum more, Rhetoricis tantum Scholis atq; exercitĳs propriè attributum eſt, vt ex Ciceron. quæſt. conſtat: & adhuc hodie apud Italos uſitatũ eſt: Illis enim Academiæ nihil aliud ſunt quam Collegia virorum eruditorum, qui ſocietate quaſi contracta ſtatis temporibus ac locis convenire ſolent, ubi alter poſt alterũ ſucceſsivo ordine multis præſentib. inſignem aliquam orationem recitat, aut illuſtrem quæſtionem politicam adductis in utramq; partem rationib. diſcutit: Quam deinceps ſubſequitur abſolutiſsima variorum inſtrumentorum Muſica, vt ſic Academiæ, more veterum, ſcholæ & exercitationes eloquentiæ exiſtant, quæ ſæpè etiam ĳs in locis habentur, quæ Scholæ publicæ deſtituuntur, vt in libris ſuis quos de ciuili conuerſatione

one Italicè conſcripſit , luculenter confirmat Guazz. Quæ cum ita ſint, commendanda profectò eorum adoleſcentum diligentia, qui hactenus aliquot orationibus, doctis, & rerum atq; verborum copia utiliſſimis, publicè habitis, oſtenderunt, ſe veræ atq; ſolidæ doctrinæ ſtudioſos eſſe , & ab Eloquentiæ ſtudijs adiumenta atq; ornamenta diſciplinarum petere. Quorum in numerum cum hoc tempore, vel aliorum laude excitatus, vel rei vtilitate, aut potius inſigni disciplinarum amore ductus, aggreget ſeſe iuuenis Nobiliſſimus & ornatiſſimus HENRICVS *à* FRIESEN, *Nobiliſſ. ac Strenui viri* CAROLI *&c. in* ROTHA *&c. Præfecti Aldenburgenſis, & Conſiliarij Illuſtriſſ. Princip. noſtrorum digniſſimi, filius: facere equidẽ pro meo erga ipſum animo non poſſum, quin ei mentem illam tàm egregiam & præſtantem gratuler : & illius atq; reliquorum exemplo, ad idem virtutis & gloriæ iter ſubeundem alios etiam atq; etiam exhorter. Nõ enim ſatis ipſi eſt, ex antiqua atq; nobiliſſima familia ortum ducere: ſed in id etiam dies noctesq; incumbit, ut generis ſplendorem non obſcuriorem, ſed illuſtriorem, ſi poſſit, efficiat: neq; ulla eum labe*

afficiat,

afficiat, ſed novum etiam in familiam præclariſſimam lumen inferat. Itaq; quod proprium eſſe debet huius ordinis, ad religionis, Reipub. legum & iuris defenſionem ſuscipiendam totum ſe parat, idq; ut præſtare facilius poßit, iam dudum ſeſe neceſſarijs ſapientiæ adminiculis inſtruxit. Cuius rei ut ſpecimen publicum edat, orationem de ebrietate fugienda rebus amplam, verbis elegantem conſcripſit, eamq; perendie, qui erit XI. Aprilis, hora 9. matutina in loco doctrinæ publico memoriter recitabit. Quia igitur amatores nos eſſe decet eorum, qui ad generis nobilitatem vera literarum ornamenta adijciunt, ideò ut frequentes huic recitationi interſint omnes, quotquot & de nobilitate & de literis præclarè ſentiunt, obnixè & amanter rogamus: Deus Opt. Max. Nobiliſſ. hunc iuvenem unà cum familia natalium ſplendore & meritorum fama celeberrima diu incolumem & florentem ſervet, omniaq; eius ſtudia, labores & actiones ſanctißimo ſuo Spiritu ita regat, ut ad optatos Eccleſiæ & Reipub. ſalutares exitus perducantur. B. V. P. P.

Jenæ 5. Jd. April. Anno

1599.

DE

DE FVGIEN-
DA EBRIETATE, ORATIO.

QVÆ SINGVLA HOMInibus ad dicendum accedentibus timorem facere conſueverunt, Magnifice Domine Rector, Generoſe Domine Baro, viri reverendâ dignitate, eruditione, ſapientiâ & virtute, ſpectabiles, Ampliſsimi, Clariſsimi, Doctiſsimi, & humaniſsimi, voſque juvenes generis ſplendore & optimarum artium ſtudijs ornatiſsimi, Auditores optimi: Quæ ſingula, inquam, hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere conſueverunt, ea mihi ſeſe hodierno die objiciunt univerſa. Sive enim loci amplitudo perturbationis aliquid afferre poteſt, in loco eminentiſsimo atque celeberrimo dicendum eſt; Sive audientium dignitas: magnâ lectiſsimorum horum adſtante frequentiâ dicendum eſt: Sive virium atque ingenij imbecillitas, mihi dicendum eſt, qui

tyro & in hoc dicendi genere parum exercitatus ſum. Loci certè amplitudo atque dignitas tanta eſt, ut nil niſi perfectum ingenio, judicio limatum, politum arte, elaboratum induſtria, huc adferri debeat. Sed tam Clariſsimorum atque eruditiſsimorum hominum auctoritate quis non commoveatur? Etenim ſi eloquentiſsimos olim viros accepimus, cum ad dicendum veniſſent, unius principis aſpectu, ita conturbatos fuiſſe, ut obmuteſcerent, quid mihi tandem animi eſſe oportet, qui nullo modo cum illis comparandus, apud vos dico, ad quos cum oculorum cõverto aciem, totidem mihi conſeſſum principum videor intueri: Ego vero ſi meo me pede metiri velim, eheu, quam curtam & inopem rerũ omnium dicturo neceſſariarum ſuppellectilẽ invenio: ingenium tenue, artem exiguam, doctrinam parvam, dicendi exercitationem, nõ dicam mediocrem, ſed omnino nullam. Hæc omnia, quantumvis me magnopere metùere faciant, cum tamen apud maximos quosq; & elegantiſsimos viros etiam rudes loqui ſoleãt, vt Theophraſti habet ſententia, & veſtra ſingularis benevolentia atq; humanitas, qua excipère ſoletis eos, qui genij atq; ingenij ſui exercendi gratiâ, hunc locum conſcendere conſue-

ſueverunt, mihi ſatis probata atque perſpecta ſit, ſpero fore, vt ne hunc quidē meum conatū ſitis improbaturi. Cogitans autem, qua dé re potiſsimum dicerem, neq; ab hoc loco, neque ab hiſcè temporib. alienū eſſe putaui, ſi, quantum eius per infirmitatem ingenioli mei fieri poſſet, de ebrietate fugienda quædam in medium proferrem. Cum enim vitia omnia vituperanda ſint, tum vel maximè ebrietatis vitiu mtale eſt, ut qui peculiarem eiuſdem vituperationem inſtituat, operam non inutiliter collocare mihi videatur. Si n. fœditatem eius ſpectaueris, turpiſsimum eſt; ſi incómmoda, pernicioſiſsimum: ſi frequentiam, communiſſimum. A vobis autem auditores optimi, etiā atq; etiam peto, ut quam benevolentiam atq; attentionem alijs antehac tribuiſtis, eam mihi quoq; concedatis, & veſtra benignitate infantiam meam ſublevetis. Archeſilaus Rex interdum raucos & inamœnę vocis audire voluit, quo audiens poſtea eloquentes plus caperet delectamenti: Me quoque auditores non tam dicentem, quàm balbutientem, & craſſa Minerua diſſerentem, patienter audire ne dedignemini. Et ut in genere breviter omnia cōpręhendā, dico, ebrietatem eſſe Lernam & Camerinam malorum omnium, & (q Cicero de

 volu-

voluptatibus alicubi dicit) ſæpius cauſſas pœnitendi, quam recordandi relinquere. Menti enim caliginem offundit, aciem eiuſdem obtundit, ingeniumq; euertit Nam quemadmodum ignis aquâ, ſic immoderato vini potu ratio extinguitur. Vnde Græcis Bacchas Μαίναδες (ἀπὸ τοῦ μαίνειν, quod inſanire eſt) & priſcis Latinis vinum temetum, quod temulẽtos homines redderet, & ad inſaniam mortales adigeret, appellare placuit. Nec id injuria: Adeò enim vinum animo humano non dicam intercipere, ſed eripere radios intellectus omnes ſolet, ut qui eo immoderate ſunt uſi, ex ſapientibus inſipientes, ex ſcientibus ignorantes, ex ſanis inſani, & ex hominibus belluæ propemodum facti videantur. Quod cum animadverterent Pythagoras & Seneca, hic ebrietatem voluntariam inſaniam, ille inſaniæ meditationem eſſe dixit. Et profecto ſi quis altius rem apud animum perpenderit, eam ita habere inveniet, & mentem hominis vino corrupti, curribus, qui aurigam amisêre non eſſe abſimilem cum Iſocrate haud invitus confitebitur. Quod ſi cui à veritate aliquanto remotius eſſe videbitur, intueatur quæſo & ob oculos ſibi proponat, ineptas illas ebriorum nugas, & nugatorias ineptias, & quàm titubẽt

linguâ

linguâ, quam gradu retrogradu & hinc inde errante incedant, quàm oculos contractos & incertos, adeò vt vix palpebras ſuſtinere poſſint, habeant, conſideret, & non eſt dubium quin non absque admiratione cum Poeta exclamaturus ſit:

Gaudia quanta viris Bacchus dedit, atq; laborem,
Si quis multa bibat, fiunt inſania vina:
Jlla pedes mentēq; ligant, lingvamq; manusq;
Non fractis vinclis, ſomnus demulcet & illum.

Quanquam autem non diffiteor, & fuiſſe quoſdam & eſſe etiamnum, qui immoderato vini potu nec quicquam immutentur, & licet benè poti, integra tamen nihilominus mente uti valeant, & nec vel pede vel manu vacillent, ut Novelli, Torquati, Cambyſis, Darij Hyſtaſpis & aliorum exempla demonſtrant: Cum tamen hæc ſit

Rara avis in terris nigroq; ſimillima cygno:

paucorum quorundam exempla, tantum roboris non habere, ut quæ â me allata ſunt invertere poſsint, ipſi auditores, intelligitis.

Quantò ſæpius ab ijs, qui vino ſe obruerunt eiusmodi actiones nugatorias & joculatorias edi cernimus, ut & inſaniam eorum manifeſtè arguant, & eas videntes de veneno poculis infuſo cum Dario haud leviter ſuſpicari faciant. Is enim cum interrogaretur ab Aſtyage, cur vinum non biberet? Metuebam, inquitne, in cratere venena mixta forent: Etenim tuo natali perſpicuè didici, pocillatorem venenum vobis infudiſſe: Sciſcitanti autem regi, quo pacto hoc dignoſcere potuiſſet? quod videbam, reſpondit, vos neque corporis neque mentis eſſe participes. Et quo in turpibus ebriorum moribus, tanq̃ in ſpeculo, quod Plato ebrios ſuos diſcipulos intueri jubebat, nos melius contemplari poſsimus, vobis, auditores, non diſpliceat, ſi aliquanto plura, his de rebus verba fecerimus: Lacedæmonios imitati, qui mancipia vino madentia ſuis oſtendere ſolebant liberis, exiſtimantes futurum, vt poſtquā fœditatem morum ipſorum conſpexiſſent, à teneris ſtatim, quod ajunt unguiculis, odium conciperent. Cum autem actiones ebriorum, ſingulorum temperamentis reſpondeant, juxta illud Platonicum: Vinum miſcetur utentium moribus: & temperamentorum tanta ſit varietas, quantam vel mente concipi eſt impoſsibile

poſsibile

poſsibile, varias quoq; eſſe ebriorum actiones neceſſariò conſequitur, Hinc eſt, quod alij dum meracius ſumſere vinum ſummum, hilaritatis gradum attigiſſe arbitrantur, ſi voce Stentorea ad ravim uſque certatim clamitare & vociferare ipſis liceat ? Hinc, quod alij blaterant, & garriunt multa inania, puerilia, ridicula, ſtulta, ſimiarum inſtar exiliunt, tripudiant, ora cachinno diſtorquent, caput, manus, & totum corpus jactant, gyros efficiunt, jam huc jam illuc diſcurſitant, ſcamna & menſas tranſiliunt: Quibus ſuis ineptijs puerilibus tam movent cæteris riſum, quam vel joculator ridiculus, cũ omnib ſuis geſticulationib, concitare nõ poſſet, fidem ſcilicet facientes dicto Platonis : Non tantum ſenes, verumetiam ebrij bis pueri. Nec verò minus exploſione & irriſione digni illi ſunt, qui vino obruti modum de ſe loquendi faciunt nullum; ſed de rebus ſuis amplam narrationem inſtituunt; quid & domi & foris egerint, latè commemorare incipiunt; aliorum ſermones interrumpunt; ansâ vndicunque arreptâ, ſuas in laudes, quâ datâ portâ ruunt, & terras turbine perflant; atque Thraſonis inſtar aut Pyrgopolinicæ, ſuas pugnas, vulnera, cicatrices, ipſi crepare non verentur.

Sed

Sed dũ ita ampullas proijciũt, & ſeſquipedalia verba, bone Deus, quæ non plauſtra mendaciorum referunt! Hic ſe Venetijs per plateas tam exercuiſſe equum, ut ignis e pavimenti lapidibus proſilierit, immodeſtè gloriatur: Ille de frigore ingẽti, quod in Æthiopia perpeſſus ſit, multis arroganter conqueritur: Alius, quãtâ huius vel illius principis gratia polluerit. præſumptuosè explicat, & neſcio quas tãdem aniles fabulas alias, alij inter pocula ambitiosè recitare non erubeſcunt. Quoſdam vero, plus nimium potos, proh hominum fidem, quæ nova invadit homines relligio? ut qui ſobrij vix ſemel Deum cogitant, jam ebrij facti, nihil niſi res divinas & Theologicas in ore habeant, ſacrasque cantiones cantare incipiant, vt religioſiſsimi quique mores ipſorum ignoranti videri poſsint: Tàm etiam efficiuntur candidi, tamque humani, ut nihil, niſi quod in corde ſentiant, ore proloquantur, ſeque invicem ſibi amiciſsimos præbeant, omnem fidem ſpondeant, vt nihil non officiorum deferant, hancque ſuam fidem ex vero & ſyncero non ſimulato amore procedere, mutuis amplexibus & multis profuſis lachrymis demonſtrant atque teſtantur. Sed hem, quemadmodum aliæ res omnes, quæ citò fiunt, citò perire

perire ſolent: ſic etiam amorem hunc, quem inter pocula animo longè altius, quam ut inde divelli poſſet, eſſe impreſſum judicaveris, ſimilem quercui annoſæ Vergilianæ æſtimaveris, quæ (ut ipſe canit)

Hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in tartara tendit:

hunc inquam, amorem non niſi vitreum, eumq; ſimul cum vino tam evaneſcere experimur, ut poſtero die, omnis amicitiæ initæ, omnium promiſſorum facta ſit oblivio. Sunt tamen nihilominus hi cæteris eò meliores, quo facilius ſomno ſopitero demulceri eos & vinci cernimus. Quantò moleſtiores illi, qui cum ſobrij elingues ſunt, & magis muti, quam vel piſces, vel ranæ Seriphiæ, poſtquam incaluere vino, criſtas erigentes ſibi ſolis ſapere videntur, & non tantum Philoſophiæ ſcrutantur arcana, ſed etiam Theologiæ rimantur myſteria, aut ſi nullam aliam diſceptandi occaſionem habeant, verbum quodlibet ab alijs prolatum ſub incudem diſputatoriam revocant, & non ſine jurgijs, quicquid tandem abſurdi protulêre, defendete conantur,

tur, rem eò producentes, ut convivium verè convicium eſſe incipiat, dum ſi quis ſeſe forſitan rationibus opponat, varias virulentæ ſuperbiæ, & ſuperbę virulentię clauſulas ſubinde intertexere non erubeſcunt. Quas ſi quis perferre nequeat, jam à verbis ad verbera proceditur, & diſputatio in rixas, pugnas, vulnera, cædes, ſæpenumerò deſinit. His ſi non peiores, certè pares mihi videntur illi, qui neminem non in convivijs exagitare ſtudent, & interim tamen nihil minus, quam ſi ab alijs idem ipſis accidat, pati poſſunt, verum ſtatim ac verbulum vel bono animó elapſum eſt, id ſiniſtre interpretantur, & in malam partem arripiunt, ſe tantas injurias non paſſuros clamitant, criminantur, injuriantur, provocant, & neſciò quas non minas ſpirant: cum tamen eiusmodi γλωσσάστιδες, & ad verbigerandum, vt loquitur Apuleius, non inutiles, ubi ad rem perventum eſt, ſępenumerò quavis muliercula timidiores ſint. Digni nimirum, hi omnis hilaritatis turbatores, & qui foribus pręcluſis ad nulla convivia intromittantur, & omnium converſatione excludantur, & ab omnibus honeſtis honeſtorum congreſsibus cum dedecore remoueantur, arceantur, atque ultra Sauromatas ablegentur. Plura ſunt eiusmodi ebrio-

ebriorum deliria, auditores, quę omnia ſi quis numerare velit,

Lybici velit æquoris idem
Diſcere quam multæ Zephyro turbētur arenæ,
Aut ubi navigijs violentior incidit Eurus,
Noſſe quot Jonij veniant ad littora fluctus;

Vt hiſce Vergilij verſiculis uti mihi liceat,

Quamobrem, ne vobis, auditores hiſce ebriorum nugis, atque ineptiis diutius moleſtus ſim, miſsis iis atque relictis, ad magis ſeria deinceps accingar, adhuc unicum duntaxat, ex quo depravatam ebriorum mentem depræhendere licet, ſi prius recenſuero: Modum nimirum illum amicitiæ inter pocula contrahendæ ſatis ridiculum, quem omnibus in conviviis, omnibus in congreſsibus, à junioribus vtplurimum, ab ætate provectioribus nonnunquam uſu frequentari cernimus. Cum enim ad ſolennitates nuptiales, vel alia eiusmodi convivia, multi plerunque diverſis ê locis homines conueniũt, licet alter alterum, tantum abeſt, ut noſcat, ut etiam nę

unquam viderit quidem, mox tamē, ubi vino incaluere, ſe continere non poſſunt, quin cum quovis fortè fortuitò occurrente, etiam nulla diſquiſitione habita, an amicitiâ dignus ſit, nec ne, non ſanè amicitiam vulgarem, ſed fraternitatem uti eam appellant, evacuato ab unoquoq; poculo contrahere ſolent. Quo pacto nomina demum ſua, quęq; una cum perſonis, quibus cum amicitiam contracturi erant, antè cognita probè atque perſpecta habere debebant, ſibi invicem indicant, & ea ſe ſedulò facturos, quæ fratribus fidelibus facere conveniat, ſanctè pollicentur, quæ non cōveniat, ſe neglecturos, ſtipulatâ manu promittunt ac recipiunt: Inter quæ hoc eſt potiſsimum, & maximè præcipuum, ne eorum alteri alterum plurali deinceps numero, citra nefas, ſalutare liceat. Nonnunquam etiam ligulas verſicolores, ſibi invicem manticæ affigere ſolent, majoris (meo quidem judicio) ſecuritatis gratia, vt ſi forſitan ob nimiam vel ebrietatem vel fratrum eiuſmodi novitiorum multitudinem unius alicuius obliviſcantur, ligulâ ſtultus dignoſcatur, poſsitq; monſtrari digito, & dicier hic eſt. Quod ſi vel pudore, vel honeſtate præpeditus, fraternita-

tem

tem hanc,ſtatim recipere nolis, illico ſe abs te contemni clamabunt, & continuo in capillos tibi involabunt. O inceptum ſtultum atque fatuum,cuius ſi ſpectatores adeſſent Heraclîtus & Democritus, alter quidem vim lachrymarum ingentem profunderet,alter riſu illa rumperet. Ex his ridiculis, ſtultis, & nugatorijs ebriorûm moribus atque actionibus, quis mentem eorum cæcam non videat; intellectum deprauatum non animadvertat? quis denique omne judicium everſum non deprehendat? Nemo ſanè, niſi qui & idem ebrius & mentis parum compos fuerit. Quod cum ita ſit,facile eſt colligere, quam egregiè mentiantur illi, qui felicius tractari literas, ſcribi carmina, conſilia capi ab ijs, qui vino ſunt graves dictitant. Quid enim quæſo eſt hoc aliud, quam fingere lippos & luſcioſos, acutius videre, quam illos quorum rectè habent oculi; balbutientes expeditius loqui, quam qui nullo linguæ laborant vitio; claudos celerius currere,quã eos,qui pedibus ſunt perniciſsimi? Concedo equidem vinum ad acuendum ingenium, vim magnam habere: Largior, conſilia vini uſu haud parum adjuvari; Tribuo,

Nulla placere diu, nec viuere carmina poſſe,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus, &c. ut Poeta canit: At eoſdem qui ſunt vini effectus, ebrietati eſſe adſcribendos, id vero nego atq; pernego. Cum enim in ebrietate cæcitas mentis & voluntatis temeritas, nihil inde recti conſilii, nihil præclarę actionis, proficiſci poſſe, quotusquisq; eſt, qui non intelligat. Quapropter Leonthidas idipſum exprimere volens, ſcitè admodum reſpondiſſe mihi videtur: Interrogatus, enim, cur parcè biberent Spartiatę? ne, inquit alij pro nobis conſultent, ſed nos pro alijs. Poterant hæc, auditores, ad oſtendendam & demonſtrandam ebrietatis turpitudinem ſufficere, ſi alia deeſſent argumenta, verum quia non deſunt, ad ea quæ reſtant, progrediemur, & quidem præter ea quę hactenus diximus, etiam nullum non vitium ex ebrietate, ceu fonte quodam profluere certum eſt. Hinc peſsimum garrulitatis vitium, quod omnia arcana, non absque & priuatorum & Reipub. pernicie divulgat, ſcaturit: Hinc fœda & effrenata libido defluit: Hinc inhumana crudelitas erumpit: Bene Ovidius:

Quid

Quid non ebrietas deſignat; operta recludit.
Quemadmodũ enim muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet, in ſummam partem vi caloris protruditur: ſic vino exæſtuante, quicquid in imo jacet abditum effertur, & prodit in medium. Nec vero id ratione caret: Nam cum ſobrios aut metus, aut pudor cohibeat, quo minus effutiant ea, quæ ſuppreſsiſſe eſt ſatius, quid mirum, ſi per vinum timore pulſo, pudore diſcuſſo, jam arcana non magis quam cibum continere poſsint, ſed pleni fiant rimarum, hac atq; illac perfluant, & ſæpè ne quidem per jugulum redituras voces emittere dubitent. Hoc cum probe intelligeret Æſchines, non minus verè quàm ſcitè, æs formæ, vinum mentis ſpeculum eſſe ajebat. Et quid quæſo, rationis eſt? quod magnatibus & prudentibus quibuſdam viris in more eſſe poſitum videmus, quod ſcilicet, ſi alicuius ingenium explorare, & mores periclitari atque expiſcari nituntur, largiter ipſum vino proluant, ſecundum illud Poetæ:

Dicuntur reges multis urgere culullis,
Et vexare mero, quem perſpexiſſe laborãt,
An ſit amicitia dignus, &c.

Nulla

Nulla ſanę ratio poteſt reddi alia, niſi quod probè exploratum habeant, id quod Perſam quendam dixiſſe referunt, ad exquirendum nimirum verum tormentis haud opus eſſe, quippe quod vino multo eliciatur rectius. Libidinem vero ex ebrietate provenire, nemini veſtrum, arbitror, ſi modo paululum in hiſtorijs verſatus ſit, obſcurum eſſe poterit. Quid enim, quæſo, Lothum virum aliàs ſanctiſsimum, quem Sodomorum etiam impietas vincere non potuit, impulit, vt cum filiabus inceſtum committeret? An non ebrietas? Quid accendit & inflammavit Centauros, ut in nuptijs Hippodamiæ & Pirithoi, tantum audere facinus non ſint veriti, dum Lapitharum rapere uxores conati ſunt? An non ebrietas? Quid adduxit Cyanippum Syracuſanum, & Aruntium hydropotam, ut ille occurrentem in tenebris filiam Cyaneam reluctantem violarit, hic Romæ in Bacchanalibus filiam Medullinam corruperit? An non ebrietas? Ebrietas, ebrietas, inquam auditores, quæ teſte Poeta geminata libidine ſurgit, in cauſſa eſt, ut & hi, quorum jam facta eſt mentio, & alij, quos brevitatis ſtudio datâ operâ ſilentio prętерij, tanta patrare ſcelera non eru-

erubuerint. Nam,ut rectè dixit Ariſtophanes, vinum eſt lac Veneris, & ſine Cerere & Baccho friget Venus. Vt enim ſobrietate, quaſi aquâ infusâ obruitur & extinguitur amor,ita ebrietate,veluti oleo,pice & ſulphure,fovetur,alitur,augetur. Vt non ſit de nihilo,quod Poetæ ſocios Vlyſsis à Circe, potu præbito, in ſues fuiſſe immutatos, fabulati ſunt. Ferunt quendam cum pietati ſedulo ſtuduiſſet,aſsiduis Diaboli tentationibus graviter infeſtatum fuiſſe, ſuadentis, ut unum horum trium peccatorũ perpetraret, ut ſcilicet,vel homicidium committeret, vel faceret ſtuprum,vel nimio potu ſe ingurgitaret,Quibus etſi diu multumque reſtitit, tandem tamen victus in poſtremum hoc, minimum id eſſe judicans,conſenſiſſe dicitur. Sed quid fit? Poſtquam eſt inebriatus, unicum admiſiſſe crimen haud ſufficit, ſed & ad reliqua facili momento prolabitur. Excitatâ enim per ebrietatem libidinis flammâ,jam ſe continere amplius non poteſt, quin ſororem ſuam, quam ad ſe invitarat, violentus comprimat, & pudicitia ſpoliet. Verùm nec à tertio immunis eſſe potuit. Nam commiſſo horrendo hoc flagitio, ſororem, ut fit, odiſſe cœpit, ſibique metuens, ſi id in vulgus eſſet eru-

pturum, cruentas ipſi manus intulit, ac eam crudeliſsime interemit. Hæc ſive hiſtoria vera ſive fabula ſit auditores, illud nihilominus nos admonet, ebrietatem & per ſe vitium eſſe maximum, & fædam quoque libidinem atque inhumanam crudelitatem inde proſilire. Quod utrunque Alfonſus Arragonum rex ſapientiſsimus, ſapientiſsimo ſuo reſponſo complexus eſt: Cum enim ex eo eſſet quæſitum, cur adeo damnaret ebrietatis vitium? ſe non ignorare furorem & libidinem ebrietatis eſſe filias, pereleganter reſpondiſſe perhibetur. Et libidinem quidem quod attinet, de ea hactenus me ſatis dixiſſe arbitror. Quam autem crudeles efficiat homines ebrietas, non ſolùm ex jam recitata fabella videre eſt, verum etiam id plurima plurimorum exempla docent, experientiaque cotidiana ſatis ſuperque teſtatur. Michaelus Balbus Imp. cum vino ſe oneraſſet nimio, tanto furore ſtimulatus eſt, vt quibuſdam aures abſcindi, alijs præcidi nares, nonnullis capita amputari crudeliter præceperit: Quod etiam ita factum eſſet, niſi Baſilius Macedo obſtitiſſet, non tam de alijs, quam de ſeipſo ſolicitus. Referunt hiſtoriographi, de Lucio

quodam

quodam Tyranni ſatellite, quod cum ebrius Miccam Phidoleni filiam moribus & forma præſtantem ad ſtuprum ſolicitaſſet, illaque renuiſſet, eam in ſinu paterno jacentem interfecerit. Quid? quod de Cyrilli filio, illum ebrium, nec patri, nec matri, nec ſororibus etiam pepercifſe legitur. Nam (grande nefas) patrem pijſsimum crudeliſſime occîdit; matrem prægnantem (horrendum facinus) nequiter oppreſsit; uni ex ſororibus (ſcelus impium) offerre ſtuprum nefariè tentavit, cæterasque duas impie ad mortem uſque vulneravit. Taceo jam, auditores, Cambyſem Perſarum regem, qui cum multo vino madidus ex Prexaſpe Satrapa audiviſſet, Perſas de ipſo ob temulentiam malè loqui, ira percitus Preaſpis filium procillatorem in medium produci juſsit, & arcum intendens ſagitta cor eius transfixit. Taceo Alexandrum illum Magnum, qui quamvis ſumma erga amicos ſuos clementia & humanitate eſt uſus; hæc tamen ipſius humanitas, per ebrietatem tantam in rabiem verſa fuit; ut & Philotam, & Parmenionem, & Clitum, & Caliſthenem, quos inter chariſsimos habebat,

tollere ê medio haud dubitarit. Quod ſi jam animum ad noſtra tempora convertamus, noſtratium convivia, quam illa ferè ſint cruenta, & lõgè crudeliora, quam vel Lapitharũ, vel Centaurarum fuiſſe legimus, norit omnis, qui mores huius ſeculo norit. Nam ut in præcipiti ſtantem vel levis tactus impellit, ita homines vino infuſos vel aſperſos ſaltem parvo atque exiguo dolore, tantum in furorem incitari cernimus, ut mutuis vulneribus ſe invicem conficere, & carnificum in morem immaniter mactare minimè vereantur. O abominandam & diris modis execrandam hanc plus quã belluinam feritatem: Belluarũ unaquęque, quamvis maximè ſæua, ſuo tamen parcit generi, ſerpens à ſerpente non necatur, leoni à Leone vita non eripitur, aper ab apro tutus eſt: Et hominem, qui bruta multis paraſangis clementiâ præire debebat, ſævire in hominem non pudeat? Sit ergo vitium magnum pernicioſa garrulitas: ſit flagitium horrendum damnoſa libido: ſit crimen execrandum ſæua crudelitas: Eſt tamen ſcelus longè gravius, & maximè omnium fugiendum ebrietas, utpote, quæ tantorum vitiorum radix atque mater ſit. Et hoc eo magis,

quo

quo ſæpius incommoda hæc in ebrietate accepta, etiam poſt ebrietatem durare conſueverunt. Eſt enim veriſsimum, quod ait Seneca, conſuetudine inſaniæ durata vitia vino concepta, ſine vino durare. Quid quod perniciosiſsimum hoc ebrietatis vitium in ſobolem ut plurimum propagetur, & charam poſteritatem quoque infeſtet. Parentes enim plerunque liberos ſibi ſimiles procreare experientia teſtatur, & ſeminis qualitates, quæcunq; tandem illæ fuerint, in ſobolem transfundi, medicæ artis periti autores ſunt. Certè ex ſcilla roſa non naſcitur: at meſsis ſemper ferè ſementi reſpondere ſolet, & corvi mali malum eſſe ovum jam dudum in proverbium abijt. Verè itaque Diogenes, conſpicatus quendam emotæ mentis adoleſcentem, mihi exclamaſſe videtur: O adoleſcens, fieri non poteſt, quin te parens ebrius proſeminaverit. Quod ſi ergo tantam vim, tantam neceſsitatem, tantam poſsideat religionem paternus maternusque ſanguis, ut ſi quæ macula ex ea concepta eſt, non modo deleri non poſsit, verum uſque eò promanet ad animum, vt ſummus furor atque amentia conſequatur, ebrietatem quæſo, linquite, abhorrete, & procul

In montem tumidasve frementis in æquoris undas

abjicite, ſi non veſtra, at veſtræ poſteritatis cauſſa, quam omnes boni ſummo ſemper amore proſecuti ſunt, adeo ut eius gratiâ extrema nonnunquam audere, & vitam profundere ipſam, minimè reformidarint. Diu ſatis, auditores, de animi incommodis, quæ ex ebrietate proficiſcuntur, verba feciſſe videor, ut & quæ inde ad corpus dimanare ſolent, brevius percurram, inſtituti mei ratio poſtulat. Et ut hinc ſe mea efferat oratio, ebrietatem ſemper ferè ſequi cruditatem, gravedinem capitis, debilitationem nervorum, & totius corporis laſsitudinem, tam eſt manifeſtum, ut nemo, niſi qui ſoli obloqui velit, id pernegare audeat. Quid enim, amabo, eſt quod pallidos omnes cœna deſurgere dubia videmus? Quid quod varias de dolore non ſolum capitis, ſed omnium ferè membrorũ edi querelas, ab ijs qui heſterno vino onuſti audimus? Quid deniq; quod illos tam deſidioſos, tam oſcitantes atq; languentes, ut ſuimet ipſorum fere tædeat, cernimus. Quæ ſi quis paulo altius apud animum reputarit, non poterit

teric non deprehendere, veriſsimè dixiſſe Alexin Poetam, tantas eſſe crapulæ moleſtias, ut nemo ſit, qui ſi antequam poculis labra admoueret, eas ponderaret, vinum immoderatius bibiturus eſſet. Hanc crapulam ceu pediſſequa inſequitur corporis debilitatio, & omnium virium attenuatio. Nam ut lampas abundanti oleo extinguitur, ſic naturalem calorem, nimio cibo & potu non debilitari ſolum, ſed conſumi etiam ac deleri certo eſt certius. Id quod non ignorabat Starcaterus Danus pugil, qui ne præcipuum fortitudinis vinculum continentiam, luxuriæ viribus elideret, ebrietati nunquam indulſiſſe ſcribitur. Sed Deum immortalem, quam omnia propè morborum genera, ex ebrietate ortum ſuum ducere, cotidiè experimur. Hinc lippitudo oculorũ: hinc cani: hinc calvities: hinc fœtor oris: hinc tinnitus aurium: hinc ſcabies: hinc paralyſis: hinc chiragra: hinc podagra: hinc intercus: hinc phtyſis: hinc denique mors ipſa, & quid non? Iovianus Pontanus alter ille noſtro tempore Cicero, cum quondam interrogaretur, cur uno ſolo ferculo, eoque parciſsimo eſſet contentus? hoc dediſſe reſponſi fertur: Cibo abſtineo, ut à me, Medici.

Brevi-

Breviter quidem ſed argutè & ingenioſè admodum. Senſit nimirum idem, vir ille præclariſsimus, quod veriſsimè dicere ſolitus eſt Diogenes, ædes in quibus multum eſſet alimenti, muribus, corpus luxu diffluens. morbis abundare. Cum enim abſtinentiâ & temperantiâ, teſtibus Medicis, multi curentur morbi, multos quoque luxu & ebrietate prouocari haud difficile eſt colligere. Certè Dionyſius Iunior ex ebrietate oculorum debilitate laborare cæpit: Ennius ex nimio potu articularem morbum contraxit. Et Vibius Criſpus ſummus Vitelli Imp. amicus, ob nocturnas commeſſationes in morbum grauiſsimum incidiſſe traditur. Quod ſi quam multi per ebrietatem in extremum vitæ periculum adducti ſint, & quàm omnes ferè in eo perierint. paucis inquirere voluerimus, tot invenie-mus exempla, quot in hac temporis anguſtia recenſeri eſt impoſsibile. Etenim ſi ſacram volvamus paginam; ſtatim obvius erit Ammon filius Davidis, qui in convivio à fratre Abſolone ſtuprum ſororis vindicante temulentus occiditur. Occurret Holofernes, magnus ille magni Nabuchodonoſoris regis dux, qui cum multum vini hauſiſſet per im-

bellem

bellem mulierculam interimitur. Offeret ſeſe Simon Sacerdos, qui cum duobus filijs â Ptolomæo ad convivium vocatus & inebriatus miſerè interficitur. Sed ut ad exempla prophana deſcendamus, nonne Elpênor Vlyſsis ſocius apud Circen vino largius hauſto ſcalarum lapſu examinatus eſt? Nonne Agron Illyriorum rex, qui magnopere gloriabatur ſe Ætolos viciſſe, in ebrietatē converſus, laterum captus dolore interijt? Nonne denique Alexander ille Magnus, quem nemo in univerſo orbe terrarum vincere potuit, vino tandem victus, cum Protheæ Macedoni reſpondere vellet, ſuccubuit, animamque efflare coactus eſt. Poterant innumera, eiuſmodi tam antiqua, quam recentiora proferri exempla, ſed ne veſtra benevolētia abuſus videar, hæc paucula attigiſſe ſufficiat. Reſtat ut de fortunæ incommodis nonnihil ſubijciamus, quæ cum & ipſa plura ſint, quam ut breve hoc tem̃poris quod nobis ſupereſt ſpatium, enarrari patitur, unum atque alterum ſaltem in medium proferam. Et quidem quā ebrietas ſuos miniſtros & ſectatores fideles in contemptum adducat, præter cotidianam experientiam ratio quoque manifeſta coarguit, Cum enim, qui

 ignavus

ignavus eſt, gloria celebris eſſe nequeat, ut inquit Euripides, conjectu eſt facilimum, quanta ebriorum apud omnes bonos ſit exiſtimatio. Hos ſiquidem tam ſomnolentos, tam ignavos videas, ut nullam ad rem minus, quã neceſſarias ad operas ſint idonei. Quid quod aliquot annorum ſpatium, quoſdam ſolem nec orientem nec occidentem vidiſſe hiſtoriæ referunt. Et Alexander ob tumulentiam ſæpe duos dies & totidem noctes dormiviſſe legitur. Quod tamen, num illi ad gloriam augendam, an minuendam profuerit, ſi ſcire deſideres, Alphonſum Arragonum & Siciliæ regem ſapientiſsimum audias. Ex quo cum quodam tempore quis ſciſcitaretur, quid ſibi vellet, quod vinum aquâ dilueret? Ne inquit, ebriũs fiam: haud, enim, ignoro, quantum vini intemperantia Alexandri Macedonum regis gloriæ obfuerit. Sed & in ſummam plerunq; egeſtatem deduci ac devolvi helvones, lucé meridiana eſt clarius. Teſtatur id Regum ſapientiſsimus Salomon, qui divino haud dubie afflatus ſpiritu amantes pinguium & vini, non ditari, ſuis in proverbijs affirmat. Docent id Poetæ, qui inopiam luxuriæ eſſe filiam, quę apud omnes, qui bona abliguriverũt

&

& decoxerunt ſua, divertere ſoleat, fabulati ſunt. Comprobat id Diogenes, qui videns hominis huic vitio deditiſsimi ædes Venales eſſe, in hæc erupiſſe verba traditur: Minimè dubitabam, inquit, quod vini crapula excuſſa, facilè domum evomeres. Qua de cauſa idem etiam, cum ab alijs teruncium petere in more haberet, à luxurioſo minam petijt, quod ei non multo poſt, unde dare poſſet, defuturum inaugurareturr. Quid verbis eſt opus? Illos, qui genio & gulæ ſemper indulgere ſolent, licet vel Craſſo vel Cræſo ditiores ſint, Iro tamen pauperiores evadere, & eò tandem miſeriarum redigi, ut etiam earum rerum, quibus ſine vix ac ne vix quidem hominum ſuſtentatũr vita, premantur inopia, ex cotidiana experiẽtia tam ſit manifeſtum tamq; apertum, ut qui multis rationibus atque exemplis adductis id demonſtrare velit, addere cœlo ſidera & facem ſoli apponere videatur. Nocere ſingulis privatis ebrietatem audiſtis, ab ea nec univerſos ſatis eſſe tutos percipite. Quæ enim, amabo eſt reſpub. quã ebrietas non peſſundedit? quæ civitas, quam non funditus evertit? Quæ hoſtium copiæ, quas non fudit, fuſas profligavit, profligatasque delevit.

Hæc enim, ut de ſuo hoc mihi largiatur Seneca, acerrimas gentes bellicoſasque hoſtib. tradidit: Hæc multorum annorum pertinacia bello defenſa mœnia patefecit: Hæc contumaciſsimos, & jugum recuſantes, in alienum redegit arbitrium: Hęc invictas acies mero domuit. Michaël Balbus Imp. cuius & ſupra facta eſt mentio, cum claſſem contra Saracenos Cretam obtinentes, duce Cratero, miſiſſet, eſſetque à prima luce uſque ad meridiem acerrimè dimicatum, jam vergente ad veſperam die, ſuperati demum Cretenſes fuga ſalutem petierunt. Sed quid fit? Romam quia poſtridiè nullo negotio ſe in ſuam poteſtatem redacturos ſperabant hoſtes, compotationib. ſomnoque ſe dedunt. Quod ubi reſciſcunt Cretenſes, qui excubitorum inopiâ ipſi vigilium munere frugi cogebantur, in Romana caſtra vino ſomnoque capta, media nocte irruunt, & univerſos, ne nuntio quidem ſuperſtite interficiunt. Idem etiam Cyro accidiſſe legimus apud Iolianum lib. 8. & Iuſtin. legimus. Ipſo enim adverſus Tomyridem expeditioné faciéte, Tomyris ac ſi metueret hoſtem ſimulans, in fugam ſe conjecit. Quam inſequentes Perſæ, cum in Amazonum caſtris magnã copiam vini, commeatus victimarum depręhéderent,

derent,gradum figunt,accumbunt,edunt,bibunt ſtrenuè,hilariterq; ſe præbent,haud ſecus atq; ſi jam victoria potiti eſſent. Sed ô infelicem ante victoriam triumphum. Poſtquam, enim, multo vino luxuq; obruti jacerent, ſupervenìens Tomyris Perſas omnes unâ cum rege trucidavit. Nihil jam dicam de Ariæis, qui quod vinum à Celtis ſuis in Caſtris poſt ſe relictum,meracius hauſerant,miſerè perierunt: Nihil de urbe Troia,quam vino ſommoq; ſepultam fuiſſe occupatam, captam, omnium hiſtoricorum libri pleni ſunt: Nihil de Scythis, qui cum ſe vino ingurgitaſſent, â Cyro Perſarum rege ad unum omnes deleti ſunt. Quin non hi ſolum,quos enumeravi, verum hodie etiam Germani noſtri,vino prius,quam bello vincuntur. In ſumma,Ebrioſus gubernator,ut rectiſsime ait Plato, omnia ſubvertit,ſive navigium, ſive curiam, ſive exercitum, ſive quamcunq; rem fidei ſuæ commiſſam. O te igitur horrendum,ô averſandum & ad Antyciras relegandum ebrietatis vitium. Tene animum humanum veram divinæ illius auræ particulam inquinare? Tene corpus ædificium, & ſtructuram Dei nobiliſſimum deſtruere? Te ne hominum fortunæ inſidiari? Tene benè conſtitutas reſpub. labe-

factare atque evertere. Merito te oderunt homines ſapientes & prudentes: Iure te repręhenderunt homines boni & frugi: Non injuria ex civitatibus & legiſlatores exterminarũt. Quam enim apud omnes gentes, peſtilens hoc vitium nullo non tempore abominabile fuerit, ſatis ex hiſtoricorum voluminibus patet. Mytileni ex Pittaci inſtituto duplicem pœnam ſtatuebant in eos, qui per ebrietatem quid deliquerant, neque admittebant turpiſſimam illam excuſationem, qua nemo non hodie, ebrietatatem pręt endendo, ſua palliare & purgare crimina tentat, veriſsimum ſcilicet judicantes, id quod Plautus ſcriptum reliquit; nimis vile eſſe, vinum & amorem, ſi ebrio atque amanti impunê quod lubeat facere liceret. Athenienſes vero tanto odio ebrietatem proſequebantur, vt cum eam damnarent in omnibus, tum vel maximè principem ebrium ex ſanctione Solonis morte mulctarent, Quid dicam de Indis? apud quos talem legem viguiſſe perhibent, vt ſi quæ mulier regem temulentum occidiſſet, hoc donaretur munere, ut ſucceſſori nuberet. Quid de Locrenſibus? quibus hoc vitium tam odio fuit, ut metu eiuſdem ne ægrotis quidem abſque juſſu Medici, medicamentis

menti gratia, citra capitis damnationem vinum bibere integrum fuerit. Quid de Hiſpanis, qui nimio ſe onerare potu etiamnum hodiè adeò dedecori ducunt, ut cauſis, quæ de jure â teſtimonio dicendo quem accerſere valent, id annumerent. Quin ētiam ad ebrietatem uſque bibere in Romano Germanico noſtro Imperio, ſaluberrima Caroli V. Conſtitutione eſt vetitum. Quę tamen conſtitutio, heu pudor, heu dedecus! hodierno die tam poſt habetur, tam negligitur, ut eam transgredi atque violare cuilibet impunè liceat. Equidem quo longius in altum evehor, auditores optimi, eo mihi amplior & patentior orationis curſus oſtenditur. Sed & temporis me ratio & veſtra ſingularis in me audiendo benignitas, ut vela contraham portumq; tandem aliquando reſpiciam, monet. Neque enim, ſi mihi ſint centum linguæ, ſint oraque centum, omnem ebrietatis fœditatem exprimere me poſſe credibile eſt: & mihi non tam orationis conquirenda copia, quam veſtra ſatietas refugienda. Quare jam jam finem dicendi faciam, ubi prius malevolis quibusdam hominibus ſilentium impoſuero. Non enim dubito fore multos, qui ob meum hoc inſtitutum dente Theonino me arroſuri ſint.

Me-

Me carpent aulici, mordebunt ſcholaſtici; traducent milites, reprehendent patresfamilias: probris lacerabunt opificis, ſenes damnabunt: vituperabunt juvenes: hilaritatem, cujus gratiâ omnes ferê ad bibendum veniunt, me prohibere dictitabunt: lætitiam vetare clamabunt: voluptatemq; omnem intervertere accuſabunt. Sed parcius iſta viris, tamen objicienda memento. Neq; enim hilaritatem improbo, ſed bibere ad ebrietatem & inſaniam uſq;, id verò turpiſsimum eſſe cenſeo. Cum enim quatuor vulgo ſoleant conſtitui pocula, unum ſanitatis ſeu valetudinis, alterum hilaritatis ſeu voluptatis, tertiũ ebrietatis, quartum inſaniæ; quando priora duo vini uſum, poſteriora abuſum complectantur, de his nõ de illis omnem meam orationem, quotusquisq; eſt, qui non videat. Sed hic excipient alij, qui aurem mihi vellicabunt, & quemadmodum olim oratori cuidam ab Antaclide Spartano id vitio vertebatur, quòd laudaret Herculem, cum tamen nemo unquam eum vituperaſſet. ſic vitium hoc ebrietatis, tanquã à nemine laudatum à me repræhendi non oportuiſſe objicient. Verum quod & hiſce naſutulis reſpõdeã in promptu habeto. Eſt enim longè alia ratio accuſatiõis, defenſionis longe alia

alia. Defendi quidem quem non poſſe antequam accuſetur, ultrò confiteor, ſed interim quoq; accuſationem quocunq; tempore inſtitui poſſe, tribui mihi meo jure poſtulo. Sed ebrietatem nullos habuiſſe patronos dicem⁹? Habuit verò & habet etiamnum quamplurimos. Vt ut enim concedamus, neminem fuiſſe tam perfrictę frontis, qui verbis palam patrocinium eius ſuſcipere auſus ſit, facto tamē ipſo id jam dudum factum eſſe, & fieri adhuc quotidiè nemo arbitror negabit, niſi qui veritati manifeſtiſsimæ cōtradicere, & omnium temporum experientię reclamare velit. Quę enim quæſo eſt gens, quis populus, apud quem nullo non tempore vitium hoc teterrimum non viguerit? Schytæ adeò erant vinoſi, ut ſi quem Gręci ad meracius bibendum adhortari volebant, Schytiſſare ipſum juberent. Parthi adeò ebrioſi fuerunt, ut proverbio de ipſis dictum ſit: Parthi quò plus bibunt, eò plus ſitiunt. Apud Græcos vero in uſu frequens fuiſſe hoc vitium, vel ex ipſorum dicterio illo, quo aut bibere quem, aut abire jubebant, ſatis conſtat. Et ut alios hîc breuitatis cauſſa latere patiar, Alexander Macedo, nonne inſignis ebrietatis patronus fuit, quem ſæpe integrum menſem compotationibus indulgere ſolitū fuiſſe

accepimus de eo Plutarch' in eius vita ſic ſcribit: Quinta die menſis perpotavit apud Eumæum, ſexta crapulam edormivit, neq; plus illa die vixit, quã quod ſurrexit, & ducibus de craſtina profectione mandata dedit, inquiens eam ſummo mane futuram: Septima deinde die epulatus apud Perdiccam, ſe rurſus vino ingurgitavit, & octauâ dormivit, decima quinta die eiuſdem menſis iterum indulſit vino, & ſequenti ſolito more crapulam ſomno decoxit. Viceſima quarta cænavit apud Bagoam. Poſt triduum dormivit. Hactenus Plutarchus. Idem in honorem Calani Indij certamen bibendi inſtituiſſe legitur, in quo talentum præmium fuerit primum, triginta minæ ſecundum, coronæ vero decem tertium. Et in hoc certamine triginta quinque continuo perijſſe, regẽ non multo poſt ſuis in tentorijs interijſſe, victorem verò triduo ſaltem ſupervixiſſe, Ælianus hiſtoricus fide dignus teſtatur. Proh Deum immortalem, hoccine eſt boni principis officium, conſtituere prẹmia vitiis, cum virtutibus eadem conſtitui opportebat, præmiis ſubditos ad flagitia invitare, cum pœnis ab ijs deterreri debebant; proprio exemplo alios ad pecudũ mores allicere, cum ad virtutem illos trahere conveniebat.

bat. Sed tulit & Romanorum ætas helvones atque potatores eximios: Fuit enim Cicero Marci filius & Torquatus quidam, quorum alter bicongius, alter tricongius, quod vterque tantum vno hauſtu ebibere poterat, cognominatus eſt. Fuit Marcus Antonius triumvir, qui ebrius in conſpectu populi Romani negotium publicum gerens vomere, totumque tribunal, incoctæ cœnę fruſtis vinum redolentibus opplere non perhorruit. Fuit Tiberius Imperator, qui & vini potum cibos pręcedere debere edicto pub. inſtituit, & etiamnum Tyro in caſtris ob aviditatem vini paſsim pro Claudio Caldius, pro Tiberio Biberius, pro Nerone Mero appellatus eſt. Fuit Licinius Imperator, quem vinolentorũ Achillem dictum fuiſſe perhibent. Noſtra vero tempora ſi reſpiciamus, eo profeciſſe hoc vitij depræhendimus, ut non ad vivendum, ſed ad bibendum nati eſſe homines videantur. Regnat ebrietas in civitatibus, dominatur in aulis, floret in Scholis: & ubi vis locorum patet latiſsimè. Sanè tanti hodiè æſtimatur ebrietas, ut ſi quem hoſpitio excipere velis, nullum ipſi maiorem honorem, nullam maiorem amicitiam

exhibere poſsis, quam ſi ipſum ingurgites, omnique ratione ſpolies. Et omnibus in conviviis, omnibus in congreſsibus, nihil agi videmus aliud, niſi quod alter alterum inebriet, adeo, ut nec mens nec pes ſuum officium rectè facere poſsint. Equidem qui heſternam nondum concoxere & edormivere crapulam, multis deteſtari & abjurare nonnunquam ebrietatem ſolent: Verum quod anum quandem bibulam feciſſe legimus, quæ cum ſericitans votum feciſſet, ſe centum ſolibus, id eſt, diebus, vinum non bibituram, voti rea per cribrum ſolem intuens mox iterum vinum bibere cæpit: idem ab his quoque factitari videmus, dum ſimul ac crapula evanuit, promiſsionis ſuę haud memores, continuo ad morem priſtinum, tanquam canis ad vomitum redeunt. Vt dicam quid res ſit, adeo ebrietas in omnium animos irrepſit, ut hodiè non amplius vitio ſed virtuti, non vituperio ſed laudi, non dedecori ſed decori habeatur atque ducatur, & qui ἀπνευστὶ, ut vocant, multa portentoſa exhaurire pocula poſsit, is omnium judicetur optimus, qui non poſsit, negligatur, contemnatur & floccipendatur. Sed ô egregiam atque eximiam eius rei laudem, quam cum brutis animantibus communem,

imò

imò longè inferiorem habemus, ſiquidem & bos, & equus, & mulus uno hauſtu plus exhaurire valet, quam hominum nemo. Benè Ariſtippus jactanti cuidam, quod multum biberet, nec inebriaretur: quid, inquit, magni narras, cum idem quoque faciat mulus. Et Demoſthenes Philocratî atque Æſchini Philippum laudantibus, quod ſtrenue biberet. Idem, inquit, & ſpongia facere poſsit. Quod ſi ergo tam commune, tamque frequens eſt ebrietatis vitium, an non rectè vituperatio eiuſdem, à me ſit inſtituta, ipſi auditores, pro veſtra ſingulari ſapientia conſiderate, perpendite, judicate. At inquient: Non ergo erit gratificandum amicis, non obtemperandum magnatibus, non obſequendum patronis? Quid enim ſi ab illis ad bibendum invitemur, inſtigemur, & qui labes eſt hujus ſeculi, cogamur? Sed ſi ab amicis rogati eſſent, ſi â patronis, atque magnatibus juſsi, ut ſeſe de ſummo aliquo loco præcipites darent, an ne hic quidem gratificari illis atque obedire erant recuſaturi? Socrates cum quondam victu tenui hoſpites excepturus eſſet, objurgatus à Xantippe, hoc reſpondiſſe fertur: Si hoſpites, inquit, boni ſunt, ſatis apparatus: ſin mali,

 plus

plus ſatis. Quin hic eodem illo utamur non video quid prohibere poſsit. Si enim boni ſunt qui ad bibendum nos urgent, non ægrè ferent ſi id honeſtè recuſaverimus: ſin mali, non eſt quod cruciemur, ſi eos offendi oporteat, præſertim cum ne bonis quidem, ſi quid nobis ex quo damnum ſentire poſſemus, præciperent, obtemperaturi eramus.

Cum ergo tanta ſit peſtis ebrietas, ut mentem hominibus eripiat, omnia arcana effutiat, libidinis fomes ſit, & hominem beſtiis longe crudeliorem efficiat: cum in contemtum adducat, & ditiſsimos quosque ad inopiam redigat: cum corpus humanum morbis innumeris repleat, & morti tandem ipſi tradat: cum reſpublicas univerſas labefactet atq; evertat, & apud omnes bonos ſemper in odio ſit habita: veſtrum neminem eſſe arbitror, qui me etiam tacente, jam non intelligat, eam radicitus ex hominum animis extirpandam ac cane peius & angue, abhorrendam, averſandam atque fugiendam eſſe: Hæc ſunt auditores, quæ de ebrietate dicere habui, quæ ſi fortè minus â me ornatè ac copioſè dicta ſunt, quam & huius loci amplitudo, & ſumma

audi-